

xtro in mucrone. Deinde incidatur cor oblique inter duas incisiones circulares, incipiendo inter duas arterias majores, culterque anatomicus ducatur juxta ductum connexionis utriusque ventriculi, vsque ad ultimam transversalem incisionem. Eleventur fibrae exteriores, ab uno latere in alterum, dimovendo easdem instrumento separatorio, tunc apparent duo distincti cordis muscoli, et nudis digitis ab invicem separari possunt.

EXPOSITIO.

Circa cor varia sunt annotanda, nam uti haecenus observavimus, non ex uno, sed potius duplici musculo admiranda prorsus ratione est compositum. Communiter consideratur atque demonstratur, uti machina ex fibris diversimode complicatis et inter sese contortis constans. Si vero paulo accuratius examinatur juxta nostrum experimentum, observamus, hic duos adesse musculos, quorum major efformat ventriculum sinistrum, circum sanguinis majorem dirigentem, minor autem dextrum, qui circulo sanguinis minori praeest. Septum, quod est naturaliter inter utrumque ventriculum, et quod multi Anatomici partem sinistrae cavitationis in corde esse existimant, ad utrumque ventriculum pertinet, atque compositum est, ex fibris ventriculi sinistri aequae ac dextri. Id quod facile demonstrare possumus, separando dicto modo duos ventriculos cordis. Quod quidem observatum egregie confirmat nostram opinionem, dari duplicem maxime sanguinis circuitum, unum majorem, alterum minorem. Major procedit ex sinistro et robustiori cordis ventriculo, ob hanc cau-

C

sara